describant Principem. Supra Palatinatibus seu spiritualibus damus hanc assecurationem, quod in tota Polonia et magno Ducatu Lithuaniae Religio Sancta Romano Graeca in omnibus suis prerogativis, et circa Jura et possessiones Episcopatuum, Archimandriarum, Hegumenatuum; Nam Ecclesiarum bonorum debebant conservari, et conservabuntur, Pacta Hadiacensia non aliter interpretari debent, solummodo pro antiqua orthodoxâ Russia soli Uniti intelligi debent, sed quamprimum Exercitus nostri Ukrainam ingredientur, reddemus Episcopatus, Ecclesias bona Ecclesiastica Unitis, et nulla bona tam in Regno Poloniae, quam magno Ducatu Lithuaniae existentia, vel per Commissarios nostros vel alio quocumque modo recipere et eripere Unitis permittemus. Immò Unitos perpetuis temporibus penes illa conservabimus. Item in bonis terrestribus Kiovien., Braslavien., Czernichovien. Palatinatuum Cosacci non permanebunt, sed in illis locis consistentias habebunt, ubi ante bellum, ac hostilitatem manserunt. Si verò quis velit Cosaccum militem agere, debet se transferre ad loca solita habitationis Cosaccorum destinata; Numerum Cosaccorum non permittimus, nisi numero quindecim millium augere, et quia ad malè narrata, imò per importunitatem Cosaccorum multa bona tam Regia, quam Nobilium fuerunt, Privilegia